

REVERENDO IN CHRISTO

PATRI ET DOMINO, DN. IOANNI ARCHIEPISCOPO

Strigoniensi, Legato &c. IOANNES GERMANVS de

Regiomonte se humiliter commendat.

Magnam esse admodum & fuisse semper in ædendis libris difficultatem mihi videri solet, dum reuoluo maiorum nostrorum exemplaria, ac præsertim eorum exordia conspicio: vbi pleriq; tenuitatem ingeniorum suorum insimulant, non suffecturam videlicet cœpto operi. Alij verò arduitate tentati negotij penè deterreri videntur: nonnulli erratis suis veniam datum iri volunt, dubiam scribendi fortunam haud iniuria suspicantes. Mibi autem reuerendissime Domine aliud præterea accedit, quod factum prorsus impossibile reor: assidue scilicet iussioni tuæ morem gerere, ac demum iudicio tuo non minus acuto quàm recto dignum aliquid reddere. Tuæ profecto monitioni nefas est contrauenire: qui enim licentius in me habeat imperium, præter te mortalis nemo est. Vbi autem lucubrationes meas coram te tam rigido quàm perspicacissimo censore depromsero, labascet illico animus. Quis enim eruditissimus licet aliquid nouarum literarum impunè tibi afferet? Quippe qui omni doctrina ac virtute mirum in modum præditus es, diuinarum humanarumq; rerum plenam tenes cognitionem: omnibus cuiuscunq; literaturæ cum te præbeas auditorem, omnes tamen excellentissima eruditione tua antecellis adeò, vt discipulos sese fateantur, quicunq; in habitu præceptorum ad te accesserint. Quantus es, quàm profundus in sacris existas literis: neminem ignorare arbitror. Quid referam de iure pontificio? Cuius notitia quidem ornamento tibi est, vsus autem dignitati tuæ pernecessarius, quippe qui supra omnes Prælatos regni Hungariæ primatum tenes. Vniuersa demum philosophia tibi familiaris est, disciplinæ autem quadruiuales decus & gloriam pepererunt. Quòd si ad negotia humana transeundi detur licentia, quis non admirabitur immensam tuam prudentiam, ex qua totius regni Hungariæ gubernatio pendet? Ita tamen foris publica curas, vt domi
quoq;